AUGUSTINUS. ISIDORUS HISPALENSIS
Göttweig (?), 12. Jh. Seite 160r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



ita me sentire dicta figurata librorum tuorum. Noui
enim multipliciter significari. per corpus. quod uno modo
mente intelligitur. et multipliciter mente intelligi
quod uno modo per corpus significatur. Ecce simplex dilec
tio dei et proximi. quam multiplicibus sacramentis et in
numerabilibus linguis. et una quaque lingua in
numerabilibus locucionum modis corporaliter enun
tiatur. ita crescunt et multiplicantur fetus aquarum.
Attende iterum quisquis hec legis. Ecce quod uno
modo scriptura offert et uox personat. in principio deus
fecit celum et terram. nonne multipliciter intelligitur. Non
errorum fallacia. sed uerarum intelligentiarum. gene
ribus. ita crescunt et multiplicantur fetus hominum.
Itaque si naturas ipsas rerum non allegorice. sed proprie
cogitemus. ad omnia que de seminibus gignuntur.
conuenit uerbum crescite et multiplicamini. Si autem
figurate posita ista tractemus. quod pocius arbitror in
tendisse scripturam. que utique non super uacue solis aqua
tilium et hominum fetibus istam benedictionem attribu
it. Inuenimus quidem multitudines. in creaturis
spiritalibus atque corporalibus tamquam in celo et in terra.
et in animis iustis. et iniquis. tamquam in luce et tene
bris. et in sanctis auctoribus. per quos lex ministrata est.
tamquam in firmamento. quod solidatum est. inter aquam et aquam.
et in societate amaricantium populorum tamquam in
mari. et in studio animarum piarum. tamquam in ari
da. et in operibus misericordie secundum presentem uitam tamquam
in herbis seminalibus. et lignis fructiferis. et in
spiritalibus donis manifestatis ad utilitatem sic